Numerus 1 – Anni 4
Ianuarius 1927

Roma (30) – Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Principia aliqua circa Cc. Juvenum

Auctore P. HENRICO HORSTMANN (prov. Germ. infer.)

Ut ea quae sequuntur melius intelligantur, pauca praemittere liceat. P. Horstmann per aliquot jam annos strenue laborat in secretariatu consilii centralis juventutis Germaniae catholicae Dusseldorpii. Istud consilium centrale caput est foederationis quam 30 abhinc annis ante coetus varii juventutis catholicae inierunt. Multae, imo fere omnes congregationes marianae juvenum extra Bavariam nomen dederunt, inter quas quinque fundatae initio saec. 17. Huic foederationi adhaerent 4394 coetus cum sociis 382.500 ex quibus 205.000 annos 14–17, alii 129.000 annos 17–21 nati sunt. Quo spiritu hi iuvenes diriguntur ex dicendis apparebit. Editor.

In animo habeo mentem meam aperire quoad nostrum laborem in congregationibus juventutis operariae et opificum. Quapropter taceo congregationes tum mulierum tum virorum et studiosorum. Quibus seclusis haec affirmo :

1. Congregatio mariana ex essentia et origine sua est optima, « classica » methodus et forma curae animarum juvenum. Animo et apparatu suo rationem habet naturae et proprietatum adulescentis quae imprimis sunt : ardens desiderium progressus religiosi ; in opere conficiendo esse socium idque proprio periculo exsequi ; necessitas sese acclinandi in ducem maturum et probatum; alacritas pugnandi cupiditasque, forma quaecumque apostolatus ; idea et imago clarissima B. M. Virginis...

2. His principiis in statutis circumscriptis innixa, congregatio variarum temporis conditionum rationem habeat necesse est. Saeculo 16 nondum urbes nimia populi frequentia superfluentes erant neque negotia et industriae quaestus causa tractatae tantis passionibus viribusque uti nunc. Congregatio vero, sin revera juvare nititur adolescentem et juvenem difficillimis hisce temporibus ac circunstantiis, conditioni, statui, necessitudini sese adaptare debet. Saeculi ingenium, mores, « quaestiones » tum sociales tum officii et muneris praeterire nequit. Tessera illa : « profectus in studiis et pietate » pro nostra conditione sonat : profectus et incrementum adolescentis tum in munere et officio, tum in religione. Congregatio ut a multis ostenditur, parum aut minus progressum in munere et officio curat ; vitam juvenis religiosam separat ab eius vita reliqua ; quapropter tenui aut minima apud juvenem est auctoritate.

3. Si congregatio adolescentem ad bonum finem ducere intendit, eum totum et in universum consideret oportet, i. e. cum omnibus relationibus suis tum intrinsecis tum extrinsecis ad religionem, familiam ; vitam eius tempore et libero et in officio et munio consumpto; aliasque eius necessitates, inopias, conditiones, quaestiones. Quod si non facit congregatio, timendum est, ne in conventiculum paucorum delabatur.

Partes etenim congregationis non tantum sunt, existere et florere in aliquibus urbibus, sed *ubique* parem esse et obsistere periculis temporum nostrorum; aliis verbis, etiam congregationi necessaria ex forma, et temperatio, organisatio longe lateque diffusa.

Quae organisatio in Germania septentrionali perfecta est, licet forte non omnes uniones coadunatae verae congregationes sint; certe duae partes 4000 unionum quae nomen dederunt, germanae congregationes sunt.

4. Quod delectum et selectionem attinet, dicendum est, adolescentes et juvenes nostrarum congregationum aliorumque coetuum ad nostram magnam unionem pertinentium revera selectos esse in urbibus et locis industriae modernae. Omnino non videmus quo alio modo juventus masculina liberari periculis moderni temporis possit, spectatis mediis quae praesto sunt ad salvandas animas. Uniones sociorum opificum et operariorum praecipue ad socialia ordinata sunt ; apud nos autem idea religiosa ut medium educationis primum locum obtinet. Fas est asserere, absque nostra organisatione multa maiora et plura damna

et jacturam in regionibus industrialibus fecisse juventutem christianam. *)

5. Unum adjungere volo, licet forte non recte intelligar. Vox « congregatio » decursu temporis et progressus ambigua evasit. Forsitan iuvabit pauciora scribere de eo quid sit essentia et intima ratio congregationis, utrum selecti tantum an magnus numerus; sed imprimis spectari debet animus et spiritus vividus, prout in statutis nostris ab antiquitus apparet; et memores simus verbi: spiritum vivificare, paragaphum vero perimere posse. Equidem ut spiritum congregationis nostrae semper ante oculos habui meditationem de regno Christi; in qua finem et scopum congregationis penitus expressum invenio. Ubicunque in coetu juvenum hic spiritus sub vexillo Christi et B. Virginis operatur, ibi rem aget congregatio, quocunque demum nomine hic coetus vocetur, quaecumque aliae circunstantiae et conditiones sint. Ubi magnum valorem traditionis et nominis venerabundi non ignoro.

Quantum in me erit, in coetu nostro strenue interveniam ita, ut id quod vult congregatio semper conservetur et quam maxime foveatur sc. amor B. M. Virginis eiusque Filii et ut juvenes progressum spiritualem faciant et collaborent in aedificanda Ecclesia Dei. Multa hac in re facienda superesse, me non fugit.

Spero paucis hic a me dictis sermonem et colloquium hac de re in A. O. non absolutum iri. Sed ante oculos semper habeamus, de quanam specie congregationis sermo fit; nam meo judicio congregationes virorum, mulierum, virginum, academicorum... a congregatione juventutis operariae omnino et totae quantae differunt in scopo practico et opere practico; nam licet omnes sodales harum congregationum B. Virginem colant, tamen imago Mariae Virginis animis variarium classium et aetatum hominum aliter et aliter obversatur.

(Amplam P. Horstmann materiam discussionis praebet. Quid ad rem dicunt directores?)

*Alio loco, auctor haec damna ita describit. „ Sume parochiam 10.000 animarum. Iuniores numerabis 800–1000. Scholas relinquunt fere 80. Quomodo adolescent? De his 80 forte 50–60 coetum juvenum ingredientur, si circumstantiae bonae sunt. Singulis annis plures desciscunt. Quando ad annum 17–18 pervenerint, fortasse 15–20 remanent, postea adhuc pauciores. Huius parochiae coetus juvenum in albo conscriptos habent 250–300 socios, quorum 100, 120, aut summum dimidia pars ad communionem menstruam accurrit. Non raro autem accidit ut tantum 50 veniant. Si vero severios sumus: quot adolescentes respondent conceptui nostro juvenis penitus catholici! Ubi sunt illi 500 qui congregationi et coetibus catholicis nomen non dederunt? Cur non succedit aliam partem evigilare e somno religioso? „ Vide: Korrespondenz-Blatt für Katholische Iugendpräsides (Düsseldorf), 1926, p. 160–161.

Quis — ex lectoribus nostris satisfacit voto ab aliquo P. his verbis expressum:

"Bonum esset, si societati omnium congregationum totius mundi imponeretur aliquod grande opus misericordiae vel tale quid quo inflammaretur zelus „.

Festa aloysiana

Magno cum apparatu celebratum est anniversarium canonizationis Ss. Aloysii et Stanislai.

Die 27 XII a. m. caput S. Aloysii solemniter Romam adductum, in collegio nostro Massimo exponitur, inde vespere ad eccl. S. Ignatii transfertur, 300 automobilibus comitantibus. Assistentia tum cleri tum laicorum ingens erat. Reliquia pretiosissima adventans salutabatur a tribus campanis collegii Romani, inde ab a. 1870 mutis!

Sequentibus tribus diebus vespere ante sollemnem benedictionem laudes S. Patroni iuventutis habebant oratores pereloquentes. Non modice omnes tetigit illud **Credo** quod die 29. a. m. novem Cardinalibus multisque episcopis et praelatis praesentibus in eccl. S. Ignatii tota iuventus magno ardore recitabat, postquam singularum terrarum nomine orator iuvenis sensa erga S. Aloysium et Stanislaum ex patrio idiomate brevite expresserat; peculiari applausu salutabatur orator turmae mexicanae.

Die 30. S. Pontifex pro magna bonitate sua ad missam privatam invitavit sodales qui multo maximam partem peregrinantium constituebant. Ad meridiem vero omnes simul — plus quam 3000 erant — a S. Patre salutabantur; unicuique manum ad osculum praebuit peramanter. Tunc ex intimo cordis affectu latina oratione omnes allocutus est, illis verba vitae aeternae inculcans et commendans Aloysii puritatem, humilitatem, charitatem. Quindecim sodales mexicanos peculiari modo cordi communis Patris cari erant, cum eis diceret: salvete, flores martyrum, exaltando constantiam ecclesiae mexicanae; quod repetiit S. Pontifex aliquibus diebus post, quando motu proprio peregrinos mexicanos ad se vocavit.

Ultimo anni die B. Pater sacrum solemne fecit ad quod eum comitabantur 22 cardinales, plus quam 50 episcopi; aderant praeter peregrinos quamplurimi fideles et laici magnae dignitatis et auctoritatis. Vehementer iuvenes commoti erant hac sollemnitate nec non paterna affabilitate quam Pius XI etiam hac occasione ipsis monstravit.

Multa alia in ephemeridibus legebantur quare longo sermone hic opus non est. Praeterire autem nolo consolationem et amorem quo amplexus est etiam P. Generalis omnes Nostros qui ipsum adire volebant tum in communi tum soli; salutavit etiam iuvenes peramanter qui sexcenti venerunt ut gratias agerent summo moderatori Societatis Iesu pro S. Aloysio et S. Stanislao proque multis beneficiis quae a Societate accepissent.

Finem faciam verbis quae sacerdos quidam Roma scripsit in ephemeridem Viennensem (Austriae):

" Cultus S. Aloysii hi dies festivi Romani novae aetatis initium constituunt. Ordo Societatis Iesu splendidissimum documentum et specimen artis organisandi posuit, nam ipsi prae ceteris successus horum festorum debetur " (Reichspost, 5. I. 1927).

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V.

Primae Primariae aggregatarum — anno 1926.

	Sacerdotes et Clerici	Viri	Iuvenes	Iuvenes et viri	Pueri	Studiosi & discipuli	**Summa**	Mulieres	Mulieres et Virgines	Virgines	Puellae	Studiosae & discipulae	**Summa**	Utriusque sexus	**SUMMA TOTALIS**
EUROPA															
Anglia		1	2		1		4	13			2		15	9	28
Austria		1	3		6	1	11	3		14	4		21	1	33
Belgium			2				2			2	11		13		15
Cechoslovacchia		3	1				4	1	4	7	4		16		20
Gallia			1		1		2		2	15	14		31		33
Germania		5	42	1		3	51	7		107	13		127	1	179
Helvetia	1		4				5			14	1		15	1	21
Hibernia	2					4	6	3	7	1	6		17		23
Hispania		1	9		5		15	1		12	8		21		36
Hungaria		2	3		1	8	14	5		1	14		20		34
Italia	1	1	13	1	2	1	19	7	3	7	7	2	26	1	46
Iugoslavia		4	5			3	12	10		10	9	4	33		45
Lusitania		3	5		1		9	8		3		1	12		21
Neerlandia		2	11		2		15	3	1	1	11		16		31
Polonia		2	2			21	25	9	1	11	10	24	55	4	84
Rumenia			1				1	1		1	1		3		4
Varia loca			1		1		2			2	1		3		5
AFRICA															
Aegyptus			1				1								1
Madagascar								3			2		5		5
Varia loca									1				1	1	2
AMERICA															
Aequator								1					1		1
Argent. & Chilum.	1		12	7	3		23	3		11	7		21	1	45
Brasilia			3		2	1	6		1	4	1		6		12
Canada				1			1			17	5		22		23
Columbia		1			3	1	5			1	2		3		8
Mexicum			6		1		7	1		2	2		5	1	13
Status Foederati		2	4		3		9	21	15	98	11		145	13	167
Varia loca										2	2		4		4
ASIA															
India		1	2	1	3	2	9	2		1	2		5	3	17
Iava		1					1			1	1		2		3
Syria					1		1		1	1			2		3
Varia loca					1		1								1
AUSTRALIA															
Varia loca		1		1	2		4	1			6		7		11
Summa	5	31	133	12	39	45	265	103	36	346 *	157	31	673	36	**974**

* Ex his cum titulo " Filiarum Mariae „ 54.

Ex hac statistica apparet, etiam a. 1926 numerum aggregationum de 177 deminuisse, nam a. 1925 aggregatae sunt 1151; a. 1924 vero 1248, a. 1923 autem 1067. Augebatur a. 1926 numerus cc. in Anglia (28 : 21), Belgio (15 : 10), Germania (179 : 176), Helvetia (21 : 18), Hibernia (23 : 8), Hungaria (34 : 32), Italia (46 : 39), Iugoslavia (45 : 35), Polonia (84 : 59), Madagascar (5 : 4), Argent. et Chile (45 : 5). Excellit numerus cc. virorum illum feminarum in Aegypto (1 : 0), Argent. et Chile (23 : 21), Columbia (5 : 3), Mexico (7 : 5), India (9 : 2).

Summa totalis omnium aggregationum nunc evectus est ad **50.313**.

Quomodo sodales iuvenes Matritenses jubilaeum Ss. Aloisii et Stanislai celebrabant.

In honorem duorum patronorum iuventutis triduum solemne institutum est diebus 13, 14, 15 nov. 1926 cui cotidie 2000 sodales iuvenes intererant, qui maximam partem iis diebus etiam cotidie s. communionem accipiebant. Die 14 (dominica) omnes visitabant ecclesias praescriptas ut indulgentias lucrarentur, fidem et pietatem iuvenum admirantibus hominibus. Tandem in ecclesiam cathedralem venerunt ubi honoratur imago Matris de Bono Consilio illa, ante quam genuflexus olim S. Aloisius se ad Societatem Iesu vocari sensit. Ultimo die verba fecit P. Alph. Torres S. I. Dissertis verbis ostendit quid et quorum sit despicere mundum: non fracto corde, non misantropia, non scepticismo sterili moventur qui Crucifixum sequuntur. Non quia coronam quam somniabant non attigerunt, sed quia Deus abscondita et dulcedines suas eis aperuit, ideo sancti spernunt mundum, sicuti fecerunt S. Aloisius et S. Stanislaus.

Finem tridui fecit conventus maximus, solemnis tam ob auctoritatem et amplitudinem qua multi florent eorum qui intererant quam ob ea quae ab optimis oratoribus dicebantur. Inter alios adsistebant aliqua membra familiae regiae; Cardinalis Matritensis; Nuntius Apost.; Primo de Rivera cum aliquibus ministris status. Oratores duo sodales adulti erant quorum prior S. Aloisium laudibus celebrabat utpote symbolum et signum pro iuvenibus, sc. signum characteris in sanctitate iuvenili. Sanctum virum et characterem vocabat quia S. A. sibi proposuit finem determinatum, ad quem adipscendum excogitavit media aptissima, quae adhibuit cum perseverantia et fortitudine. Finem sibi proposuit S. A. qui reponit super fundamenta aeterna; et medium ei erat vita religiosa, in qua se probavit ut hominem acris intelligentiae et firmae voluntatis.

Orator alter, actu minister status, Yanguas nomine, clarissime explicavit quomodo religio non tantum ad perfectionem spiritualem individui facit, sed etiam absolute necessaria est ad salutem communem rei publicae. " Ubi deficit religio, moriuntur populi „. Quare gubernia manifestationes religiosas promovere debent. S. Aloisius nos docet virtutes quae multum faciunt ad prosperitatem publicam, v. g. vividam fidem, magnam puritatem intentionis, contemptum sui et amorem proximi heroicum.

Scena, " speculum heroum „ a congreganista pulchre compositum, evocavit pugnas quas S. Aloisius propter vocationem suam commisit. (cf. Servicio de Prensa, Madrid, 1926, n. 12, p. 32 s.).

De aliquibus congregationibus Hispaniae

Praeses congregationis **studiosorum** ad residentiam *Granatensem* multo labore congregationi suae domicilium paravit, quod die 10 octobris 1926 magno apparatu ab episcopo consecratum et inauguratum est. Complectitur sacellum, aulam academiae, aulam ludorum eleganter ornatas. Vespere solemni conventui litterario-musicali quem sodales cierunt inter alios interfuerunt Doct. Casanova, Em. Cardinalis-Archiep. Granatensis; Gubernator civilis multique alii ex primariis cleri is et laicis urbis.

Mense januario iidem sodales ut complementum huius domus aperient « patronatum opificum » ad educandos opifices in religione et litteris.

(Cf. Noticias de la Provincia de Castilla; 1926 n. 28).

Simile quid ibidem n. 27 narratur de sodalitate **studiosorum** in domo professa *Bilbaensi* quae etiam domo sua gaudet. Circiter 700 maiores totidemque numerantur iuniores sodales quorum cotidie circiter 200-300 missae intersunt communicantes. Diebus dominicis a. m., conventu absoluto, sodales consultores et sectionis catechistarum cum directore in vicos se conferunt via ferrea ibique quisque sodalium turmae suae parvulorum catechismum explicat; postea P. Praeses omnes parvulos alloquitur et tunc currit in alium vicum, ubi interim alii sodales catechistae rem suam egerunt. (Eodem modo apostolatum exercent sodales urbis Vitoriae (l. c.)).

Maiores sodales studiosi diebus dominicis usque ad 400 ad domum congregationis ludi causa veniunt. Sed mane frequentes quoque sunt ad s. mensam.

Aliam vero domum multo maioris utilitatis exemplo plurium congregationum **universitariorum**, ex. gr. Barcinonensis, Matritensis, Bilbaensis, Valencianae, construxit c. stud. acad. *Vallisoletana*, sc. centrum scholasticum sub invocatione M. Immaculatae. C. haec, fundata a. 1864, non solum pluribus millibus suis sodalibus, sed aliis etiam studiosis varia media profectus in spiritu et litteris, praebuerat. Crescentibus autem indigentiis e necessitatibus modernis omnimodis, novis quoque auxiliis et adjumentis succurrendum esse duxit. Ideo domum exstruxit et mense oct. 1926 aperuit, ubi imprimis academici studiis vacare possunt; 140 eodem tempore commode musaei locum occupant, cui adnexa est bibliotheca aptissima. Ipsis insuper praesto sunt magna aula scenica, aliae duae aulae pro academiis et musaeis, aula recreationis superficie 440 m²; tandem genus aliquod modestae cauponae. Sensim accedent pro opificibus scholae vespertinae, conferentiae scientiae popularis diversi generis; aulae jam adsunt.

Domus ab artificibus instructa practice et pulchre simul, rectangulum 36 × 50 m. constituit; adjacenti insuper minor domus scholarum pro pueris qui ibi jam in 5 classibus educantur, et hortus cuius superficies 3000 m².

Opus quod 800 sodales universitarii, verbis factisque adiuti a societate « dominorum juventutis amicorum », perfecerunt in honorem « summae coelorum imperatricis » magnopere ad laudem huius congregationis valet et imitatione dignissimum est.

(V. Centro Escolar Vallisoletano de Maria Inmaculada; Valladolid, 1926).

Floridas cc. **famularum** dirigunt PP. domus professae *Bilbaensis* et resid. *S. Sebastian;* cis huius conventibus adsistunt plus quam 800 sociae; illam, jubilaea festa argentea celebrantem, tres episcopi et plus quam 6000 fidelium praesentia sua honorarunt (V. Noticias de la Prov. de Castilla, 1926, n. 27).

Paucas aemulas habebit sodalitas **Toletana** cui titulus: **C. Regia militaris** Mariae Immaculatae et S. Ignatii de Loyola (Real Congregación Militar de Maria Inmaculada y San Ignacio de Loyola). Ante aliquot annos erecta est. Circiter dimidia pars alumnorum academiae militaris ei se adjungit. Praeses est P. e Societate. Conventus hebdomadarii habentur, communio mensilis maxima celebritate; pridie per edictum diurnum militare indicitur. Sectiones habet litterariam, scientificam, charitatis cuius socii asyla et hospitalia invisunt; in scenam prodeunt; bibliotheca fruuntur. Em. Cardinalis sodalibus in centro urbis pulcherrimum aedificium in usum tradidit honestae variae recreationis; non deest sacellum, ubi, instantissimis iteratisque sodalium precibus exauditis, Ss. Sacramentum asservare licet; hic sculpta sunt nomina sodalium qui vitam dederunt et sanguinem pro patria.

Benedictus XV. et Pius XI. multis laudibus et beneficiis spiritualibus sodales cumularunt; rex Alphonsus XIII. et filius Princeps de Asturias titulos primi sodalis et praesidentis honoris causa receperunt.

(Cf. Accion y Fe, Mexico; 1926, p. 428 ss.).

Dux **Franco,** cuius fama ob iter per aëra ab Hispania in Americam meridionalem, usque ad ultimas fere terras pervagata est, libenter se socium marianum profitetur et pietate excellit apud sodales B. M. V. a Loreto in civitate Hispalensi.

(Cf. Efemérides Marianas, Santiago de Chile, 1926, p. 299).

De operibus quibus vocationes promoventur

Magis magisque necessitas fere ubique terrarum sentitur vocationes ad sacerdotium et vitam religiosam omnibus mediis tum naturalibus tum, ut patet, imprimis supernaturalibus promovendi. Ita, ut multa alia taceamus, breve ante tempus in Germaniae dioecesibus Meissen et Freiburg ortum sumpsit "apostolatus feminarum pro vocationibus sacerdotalibus„. Adhaerentes huic operi orationibus, apostolatu (educando vere christiane pueros), eleemosynis numerum clericorum augere tendunt. Cotannis unam marcam solvunt et nituntur alias duas mulieres ad hoc genus apostolatus adducere.

Simile quid fundabant in archidioecesi Pragensi. In Gallia jam a multis annis strenue laborant in eundem finem. Anno elapso Archiepiscopus Baiae in Brasilia conventum coëgit episcoporum reipublicae; inter 14 praelatos aderant 5 archiepiscopi. Per aliquot jam annos magno cum apparatu eundem scopum prosequitur opus S. Petri Canisii in Austria impellente et dirigente ludimagistro sodali Opus P. Lester in Anglia notissimum est.

Pauca tamen dicere liceat. P. Edmund Lester S. I. condidit Societatem sacerdotum juvenum Dominae Nostrae (Society of Our Lady's young priests). Anno 1919 cum aliquibus paucis coepit in domo Campion, Osterley. Circiter 60 ultimo tempore cotannis ad studia veniunt; plus quam 30, plurimi tarde vocati, biennium in hac domo peregerunt, quo se praepararent ad ingressum in aliquod seminarium episcopale aut in novitiatum. A. 1926 ex. gr. plus quam 30 clericis adscripti sunt. In omnibus fere Angliae dioecesibus ex-alumni collegii Osterley inveniuntur; pariter apud Benedictinos, Carmelitas, Dominicanos, Franciscanos, Iesuitas, Salesianos.... Etiam in aliquibus missionibus jam laborant.

Pecuniam P. Lester ipse colligere debet ut opus sustentare valeat. Valde opportunum nomen elegit pro Societate sua, vocando eam sacerdotum B. M. Virginis. (cf. Introibo, Roehampton (London S. W. 15), 1926, p. 97).

His similibusque operibus nomen dare et fines eorum prosequi magno cum fervore honori est omni congreganistae, imprimis feminis. Congregatio etiam pro se sola ad rem accedere potest; vel pro oppido, dioecesi... impulsum dare, organisare. Sunt congregationes quae quotiescunque conveniunt certi quid orant ad bonos sacerdotes impetrandos; alibi sectio eucaristica cotidie ab ailquo membro s. communionem in hunc finem offerri jubet. Alibi congregatio jam per nultos annos expensas solvit pro paupere alunno seminarii maioris vel minoris sive in patria sive in missionibus exteris. (*)

In Hollandia jam plures congregationes ex. gr. c. dominorum Tilburgi novam sectionem aliis addiderunt: bursam 4000 fl. in honorem alicuius Sancti condunt, ut alumnum clericum ad sacerdotium usque sustentent. Singulis bursis nomen Sanctorum imponunt, ut per intercessionem huius Sancti eo citius pecuniam colligere valeant. Finem suum attingere volunt spargendo inter catholicos folia, quibus venustas, utilitas, necessitas operis describitur; inducendo verbis locupletes ut suprema mandata exprimant in favorem bursae; hominibus minoris fortunae et pauperibus explicando, nummum etiam parvulum multum valere. (Cf. Directeuren-Tijdschrift, 1926, pagina 167 s.)

(*) Idem proponit P. I. C. Houpert, S. I., in opusculo concinno: A Vital Need of the Church, the support of our seminaries. Trichinopoly 1926, Indian Catholic Truth Society, p. 13; et The Queen's Work, 1927, p. 13.

S. Pontifex nuper hoc genus zeli apostolici multum laudabat in viris Romanis, dicendo, nullum aliud opus contendere posse cum illo quo missiones et vocationes sacerdotales promoventur; viros catholicos hic collaborando, mirabilem populo praebere utilitatem.

Sollers et certo etiam valens medium ad vocationes promovendas adhibuit, sectio eucharistica congregationis mulierum Neomag. ad eccl. S. Ioseph: die 28. junii a. p. pueros ad expositum Sacramentum adduxit, ut ad hanc intentionem orarent. H. 9 a. m. venerunt puellae unius c assis ex schola quadam monialium; h. 9 1|2 pueri; et sic unaquaque dimidia hora per vices.

Praxis haec valde arridens et ubique quocumque demum modo a congregationibus mulierum, virginum, puerorum, puellarum et a collegiis et convictibus sedulo imitanda, ortum sumpsit Hagae Comitis.

Opus nunquam satis commendandum congregationibus ac dignum cui sodales magno animo succurrant atque opitulentur omni quo possunt modo. Quod omnibus, praesertim virginum, cbs dicendum est. Parentibus vero inculcanda est puerorum (et puellarum) educatio eucharistica; obediant parentes voto Ecclesiae et postulent a sacerdotibus primam communionem puerorum suorum quamprimum per leges Ecclesiae licet. Si quod est medium corda puerorum jam ex longinquo praeparandi ad vocationem divinam, absque dubio est haec unio cum Christo Domino in S. Eucharistia teneris jam in annis.

Perpulchra et facilis materia allocutionis in congregationibus virorum et matronarum!

Sed quid dicendum agendumque apud ipsos sodales pueros?

De regula 21.

Reverende in X.to Pater

P. C.

Congregationum Marianarum regulae 21ae is est tenor:

"Officia renovari solent semel in anno...„.

Fiunt quidem regulariter, tempore in consuetudine statuto, electiones, sed officiales maiores, praefectus potissimum, priorque Assistentium, tum quia sic trita fert via, tum potissimum, quia deponendorum displicentia ac invidia reformidantur, iidem, pluribus abhinc annis, sodalium suffragiis eliguntur: quod revera nonnihil cedit in pii coetus *detrimentum*.

Enixe igitur R.am V.am rogo, ut A. O. det quantocius dictae regulae authenticam explanationem.

Responsum: Explanatione regulae R. V. non indiget, nam clare videt quid optimum est in theoria, quidque minus bonum practice. Certe accidere potest, ut in aliqua c. per plures annos idem praefectus, uterque assistens reeligatur quin c. detrimentum inde capiat; imo, maxime proficuum esse potest. Sed ob motiva a R. V. citata eosdem sodales relinquere in officio suo, vix proficuum erit, imo, ut R. V. ipsa dicit, in detrimentum vergit. Ergo abusus tollendus erit. Fortasse optime eo quod bonis rationibus lente ac graviter moventur illi officiales, ut declarent saltem, hoc anno se nolle eligi; aliis tunc electis, satis facile statutum locale confici poterit quo prohibeatur quominus praefectus et assistentes diutius quam tres annos munere suo fungantur in continuo.

Dignitariis vero non renuntiantibus, R. V. fere certo obtinebit, ut consultus eorum nomina omittat in ternario toti c.i ante electionem proponendo; aut, rationes afferendo, recusabis haec nomina, si a consultoribus proponuntur; quod utique res ingrata et gravis, attamen hinc inde necessaria est, nisi ipse director aliquando praefectum aliosque constituat.

Cum agatur, quantum scio, de c. iuvenum, malo certe mederi potest.

In diiudicanda tota re videndum est quid sit ad maius bonum c.is, vel saltem minus malum; et multis precibus rem commendare B. Virgini.

QUORSUM ACADEMIAE IN CONGREGATIONE? (*)

Id saepe a vobis ipsi quaesivistis. Dicam breviter quid de eo sentiam.

Academiae alios habent fines communes omnibus, alios singulis proprios.

Et inter eos *primos*, praecipuum e t quidem, idque ex loco quem in enumeratione occupat facile constat, ut socii academici in robustam unitatem coëant viresque ex concordia colligant, quotiens eae sint quacumque tandem occasione necessariae, sive in Universitate, sive in Scholis sive in Clinico Instituto. Id autem academia efficacissime praestat, siquidem in ea et mutuo se norunt sodales qui se antea ignorabant, et amicitias fortasse debiles confirmant et corroborant. Debet enim semper Congregatio excedere ultra terminos loci ubi est instituta, adeo ut ubicumque duo sodales sint, illic ea esse sit dicenda.

Alius fructus est Apostolatus quem exercere inter socios possunt. Quam enim multi in Congregationem adscripti ideo apparent, et ante B. Virginem et ante homines, quia conferentias academicas adierunt, in claustris Universitatis, a sodalibus invitati!

Tertius sit ille scientificus fructus quem et ipse orator et auditores consequuntur ex Conferentiis.

Inter fines *alterius* generis, propriis scilicet cuiusque Academiae, eum solum attingam qui est meae Academiae (sc. iurisprudentiae) peculiaris: Conferentiae nos exercent in perdifficili usu illius magicae artis, quae si rite adhibeatur, est validissima; sin vero male, prorsus ridicula. De verbi seu eloquentiae usu loquor. Nec enim inficiari licet eum usum in his Academiis acquiri; quisquis enim didicerit apposite ad denos doudenosve verba facere, apposite etiam dicet binis ternisve milibus auditorum. Sat erit sibi persuasum habere se tunc rem cum iusto auditorio habere.

Sunt et alii multa que possim enumerare, sed exiguo spatio prohibeor. Liceat tantum mihi cohortari omnes scholares, ut suas quique Academias conveniant, quemadmodum suis articulis et capitibus in suis Regulis est eis praeceptum.

(Iuventus, Dec. 1926, p. 436).

" Si veri filii et sodales Mariae Immaculatae esse vultis, ad tria vos adhortor: ut eligatis **unum** defectum quem corrigatis aut **unam** virtutem quam acquiratis; ut **bis** in die conscientiam examinetis; ut **ter** cotidie exercitium virtutis decernatis „. (P. Ereño ad sodales iuniores collegii Vitoria; cf. Páginas Marianas, 1926, Dic., 1. quinc., p. 5).

(1) Loco vocis academiae alibi adhibetur illa sectionis litterariae vel scientificae.

Considerationes circa utilitatem et opportunitatem congregationis.

Nuper aliqua de congressu directorum nostrorum in Statibus Unitis A. retulimus. Addere pauca liceat eorum quae narrantur in The Province News-Letter, Missouri Prov., Oct. 1926, p. 9 s.

Patres congregati initio magis pessimismo favebant, qui tamen optimismo cedere debuit. Quaenam rationes id effecerunt? Praesertim quatuor erant, ut videtur.

Prima, quod A. R. P. N. cm pro uno ex maximis et gravissimis mediis nostrae activitatis habet.

Altera, quod adversus omnes clamores de deficientibus membris sodalitatum, c. in Statibus Unitis **omnes** alios pios coetus (de Ss. Nomine, tertiu n ordinem ...) cum suis 1.500,000 sodalibus praecedit.

Tertia, relatio fructuum quos fervidi directores praesentes in suis ccbus ceperunt.

Tandem, appellatio seniorum Patrum ad recte sentiendum de ce tamquam opere tradito Societatis cum historia splendidissima trium saeculorum, instantia facta ex eo quod maxima forte pars vocationum ad Societatem omnino vel saltem multum debetur ei; et quod sodalitatem in crisim vocare signum defectus reverentiae versus Societatem esse videtur.

Ita factum est, ut Patres magno animo et fervore ad opus se accingerent, persuasi, cm ut optimum medium Societatis cum maximo successu adhiberi posse in omni schola, universitate, parochia.

Mox magnum conventum sodalium cogere intendunt, ut et ipsi sodales et alii catholici consilii fiant quanti sint quantumque valeant.

LAUDES CONGREGATIONIS IN St. U. A.

Episcopus **Boyle**, Pittsburgh, primam suam epistolam pastoralem dedicavit sodalitatibus. Inter alia dicit: « Notitia magni boni quod sequebatur institutionem congregationum in parochiis causa mihi erat, urgendi omnes sacerdotes ut statim sodalitates B. M. V. in paroeciis conderent.... Imprimere mihi liceat animis omnium opinionem meam de extrema necessitate et peculiari opportunitate rei tamquam munimenti contra pericula et minas quibus vita spiritualis puellarum nostris temporibus exponitur ».

Ut voluntati suae melius obsecundetur, episcopus omnes cc. feminarum non nuptarum in **federationem dioecesanam** coëgit quae unaquaque hebdomada in periodicis catholicis aliquo articulo omnes sodales alloquitur et inflammat; et impedit, quominus congregationes delabantur in meras associationes aut pias aut sociales aut pecuniae vias. Decori et gloriae hunc foederi cedit quod quatuor quintae partes omnium novitiarum monialium ex congregationibus parochianis venit; itemque optimae matres familias.

(Cf. The Queen's Work, 1927, p. 19).

Lacto animo audimus haec optime dicta factaque. Ast, quaerere liceat: congregatio mariana estne fundata tantum pro puellis et virginibus? Nonne imprimis pro viris? Ubi est foedus cc.um virorum vel p tius sexus masculini in illa dioecesi et alibi? Fructus in cc.bus puerorum, juvenum, virorum certe non sunt minores fructibus aliarum sodalitatum, dummodo bene dirigantur. Et notissimum est in St. U. nullam parochiam non habere saltem manipulum virorum zeli et abnegationis admirabilis quibuscum facile c. mariana instrui potest. Utinam ergo quamplurimae erigantur!

Sodalis martyr in Mexico.

Inter alios qui a satellitibus saevi Calles comprehensi sunt ob "propagationem religiosam„ etiam duo iuvenes de Zamora (Michoacan), Emanuel R. Melgarejo et Ioachim de Silva Córdoba erant, 17 et 25 annos nati. Melgarejo, invitatus ut clamet: vivat Calles, alta et aucta voce prorupit in verba: Vivat Christus Rex, repetens se libenter effusurum sanguinem pro religione sua catholica.

Milites paulatim aures adolescentis abscindebant, ut eum hac methodo inducerent ad vocem: vivat Calles. Melgarejo vero in tormentis suis usque repetebat: Vivat Christus Rex. Tandem milites linguam exciderunt heroi cruore stillanti et iamiam animam agenti.

Silva Córdoba, testis atrocitatis et cupiens eandem mortem subire ac amicus, forti animo se in corpus amici iecit illud tegens et tanta vi amplectens, ut a militibus solvi non possent, quare hi carnifices ictu sclopetae utrumque simul percusserunt, clamantem: Vivat Christus Rex!

Melgarejo ante septem annos a P. Iacobo Ramirez, nuper Romae degens cum 15 cultoribus S. Aloisii mexicanis, in congregationem admissus fuerat.

Sodales studiosi et operarii in Mexico.

In multis fabricis Mexicanis operarii dimissi sunt quia ad syndicatum catholicum pertinebant et fidem negare nolebant. Sodales studiosi pecunias colligebant distribuebantque ut necessitatibus horum confessorum proviederent, quos cum familiaribus in proprias et amicas domos introducebant alendos et sustentandos non solum cibo materiali, sed etiam pabulo instructionis et exempli religiosi, ut eo facilius acerbitatem persecutionis ferrent. (Cf. Servicio de Prensa, Madrid, 1926, n 12, p. 22).

Maria magistra virorum.

Esto vir! Ut sodalis perfectus sit vir, quibus virtutibus resplendeat oportet? B. Virgo tibi dicet, Vir habeat

1) **fidem in corde.** Fides fundamentum adamantinum vitae catholicae quia nititur Deo, firmissima ut thronus Dei. Quam fidem habuit B. V.: "beata quia credidisti„.

2) **orationem in ore:** viri fides vivida facile in verba prorumpit ad Deum. Vir ad orationem impellitur imprimis gratitudine: quod Deus Pater est toti mundo, idem vir est familiae: conditor, conservator, dominus; quod Filius est erga sponsam, Ecclesiam, idem vir uxori: diligens, fidelis protector; quod operatur Sp. Sanctus in animabus, idem vir erga suos: est magister, rex, sacerdos. Ergo vir non erit gratus? Nihil rogabit, ut his muneribus suis bene satisfaciat?

Sed quia satis male artem orandi novimus, magistram optimam orationis adeamus et cum Matre nostra dicamus: Pater noster qui es in coelis.

3) **animum fortem in vita.** Publice appareat fides cordis, oratio oris; lux luceat; sub modio non ponatur; vexillum suum vir statim et ubique proponat, pandat. Quod ut vir libenter faciat, B. V. semper semperque ei monstrat partem quam habuit in fundenda Ecclesia tam admirabili, alta, universali ultra omne saeculum et populum, amplissima, potentissima, exaltata, gloriosa. (V. Sedes Sapientiae, Brugis (in Belgio) 1926, p. 182 ss.).

Responsio de veritate thesium

N. 8 anni III Oct. 1926 — Acies Ordinata.

Ad 1am Verum est, ac per congregantes utriusque sexus posse facilius fieri.

Ad 2am sunt necessarii laici, ac medium praecipuum eos accendendi aut inflammandi "exercitia spirituatia" **bene** facta; sic ad 3am respondeo.

Ad 4am Verum est.

Ad 5am Non modo amor et devotio V. Mariae, sed cognitio **Missionis** Mariae, circa homines salvando.

Conclusio optima. Utinam rectores ac superiores omnes (1); imo, utinam et omnes nostri tamquam aliquid sibi cari haberent quamlibet Congregationem. Inde et faverent directoribus congregationum, eos et iuvarent, nec relinquerent ita ut si res illius cuiusque esset...

Non vero caritatis causa solummodo, sc. iuvandi directores, sed ratione zeli, ratione providentiae, ratione efficatiae qua congregationes gaudent, pro Societate Iesu, quasi "ex opere operato" ad salvandos homines.

Servus in Xt.

(1) Neminem reprehendo, de nemine queror.

Usus benevolus et familiaris inter praesidem et sodales.

Certe non sufficit solumodo cum sodalibus omnibus simul sumptis agere ut ita dicam sollemniter et officiose in aede sacra tantum; oportet agere coram. Ansam plures praesides inter alias etiam sumunt ex **diebus onomasticis** congreganis arum quibus vota sua exprimunt; imo, aliqui directores omnibus schedulas distribuunt, ubi hi dies notantur ad singula sodalium nomina. Ita fit, ut praeses saepissime aliquos sodales inveniat, quando unum eorum gratulabundus adit. Et gratulando sibi voluntatem sodalis magno ere comparat.

Ephemerides nostrae.

En conspectum periodicorum quae a 1. decbr, 1926 usque ad 25. ian. 1927 ad secretariatum generalem congregationum B. M. V. missae sunt:

Am Scheideweg; Iugendführung; Iugendverein Iung-Wacht; Korrespondenzblatt für Kath. Iugendpräsides; Die Wacht. (Omnes Düsseldorf.) Virgo Mater (München). Sodalenstimmen (Münster i. W.)

Omhoog. (Vught, Neerlandia). Directeuren-Tijdschrift (ibid). Sedes sapientiae. (Brugge, Belgium). Ianua coeli (Liège, Belgium).

La forza (Bari). Stella matutina (Roma). Tra noi (Torino). Ecco di Vita Collegiale (Brescia). Ricordati di tua Madre (Napoli).

Mária Kongregácio (Cluj, Rumania).

Marianska Kongregácio (Trnava, Cechoslovakia). Hlasy (Sv. Hostyně, Cechoslovakia).

Vjesnik Marijinih kongregactja. (Zagreb, Iugoslavia). Glasnik. (Ljubljana, Iugoslavia).

Les Cahiers Notre-Dame (Reims, Gallia).

The Queens Work (St Louis, Mo). The Madonna (Melbourne, Australia)

Mensageiro de Maria (Valença do Minho, Portugallia). Echos da Missão de Shiu-Hing (Shiu-Hing, China).

Boletin de la Anunciata (Habana). Iuventus (Barcelona). Paginas Marianas (Vitoria, Hispania). Nuestra Hoja. (Buenos Ayres) Instaurare (ibid.) Efemérides Marianas. (Santiago de Chile).

Rogamus, ut saltem ephemerides ccum et marianae si quae aliae sunt, etiam ad nos mittantur.

PRAEMIA TRIA

50, 30, 20 libellarum proponere possumus, benefactore nummos offerente, sodalibus studiosis collegiorum qui lingua gallica optimas lucubrationes 4-8 pp. usque ad 1. aprilem mittunt. Duplicis materiae optio datur: S. Louis de Gonzague et nous, écoliers du 20e siècle; vel: mon apostolat de ce jour. Excluduntur studiosi universitatis. Directores rogantur ut sodales certiores faciant eisque animum injiciant et scripta sigillo cis munita mittant: in Belgio ad R. P. Ferd. Van Bastelaer S. I., rectorem coll. S. Servais, Liège, 92 Rue St. Gilles; in Gallia: ad P. Henr. Baron S. I., Strassbourg, 8, Rue des Pucelles; ex aliis terris: Romam ad nos.

LIBRI NOVI

Ein Muttergottesbuch. Auctore **A. Vermeersh S. I.** 3 vol. Innsbruck, Marianischer Verlag, 1924-26.

Liber egregius P. V., gallice conscriptus et in plures iam linguas versus etiam germanice editur. Iure merito, quia libelli tres optimi sunt et multum facient ut intimius et cognoscatur et ametur B. V. amore solido et vero, nam ad imitationem virtutum d. Matris etiam atque etiam auctor impellit, praesertim per vol. 3 ubi de gratiis, virtutibus, gloriis B. V. agit; vol. 2 tractat de vita d. Matris in terris, vol. 1 de festis B. V. in Ecclesia.

Directores c.um amplam copiam accurate et exquisite dicendi ex his pulchris libellis haurient; sed illos etiam instanter commendent sodalibus suis, non secus ac libellum a. 1926 apud supra nominatum bibliopolam editum cui titulus:

Hochziele echter Marienverehrung. Ein Sodalenbüchlein von **G. Wiederkehr** S. I.

Sermo fit de vero cultu B. M. Virginis in genere et in c.e in specie; de vita mariana sodalium; de aliquibus difficultatibus quas hodierno tempore aliqui contra cultum Dominae N. movent. Libellus arridebit omnibus qui vitam suam in formam marianam redigere volunt.

Verlag der Fahne Mariens, Viennae IX (Austria) venditat

1) *Canisius Kalender 1927,* et
2) *Der hl. Aloysius Gonzaga,* auctore **E. Maass** S. I., 1926.

Istud calendarium, manu eleganti a P. **G. Haraser** compositum, multa plura praebet quam titulus indicat; est quasi nuntius cum provinciae Austriae nostrae Societatis tum cc. marianarum et ita varia scitu digna affert.

P. Maass libellum suum pulchris imaginibus ornatum magno cum amore, accuratis studiis nitens methodo psychologica ita scripsit, ut etiam modernis hominibus et placeat et utilitatem foveat.

De S. Aloysio etiam agit P. **W. Flosdorf** S. I.:

Das Siegesfest des Gonzaga; Düsseldorf 1926, Iugendführungsverlag.

Scena bene conscripta pro juvenibus absque nimia difficultate cum optato successu edenda hoc anno aloysiano.

Face à la vie. Auctore P. **R. Plus** S. I. Toulouse, 1926, Apostolat de la Prière.

Duo exoptatissimi fasciculi meditationum pro juvenibus ut sunt nostri sodales qui fame spirituali absumi nolunt, sed se multos in contemplandis rebus divinis perspiciendisque ponere. Materiam meditationum praebent splendores baptismi, fortitudo animi, virtutes necessariae, apostolatus, festa et devotiones etc.

P. **H. Abel** S. I. *Wie ich Jesuit wurde.* Viennae (Austria) IX, 1926. Verlag der Fahne Mariens.

Notissimus P. de quo nuper in A. O. (III, 57) sermo erat, ipse historiam vocationis ad Societatem conscripsit quam, auctore defuncto, P. O. Werner in lucem edidit: opus valde laudandum quia via defuncti ad sanctuaria Domini non erat cotidiana. Directoribus sodalium studentium et his ipsis valde commendandum.

TELEPHONIUM EDITORIS

P. H. U. Optimum medium sodales inducendi solide in liturgiam erit in c.e *sectionem v. academiam liturgicam* condere, cui certe plurimi sodales adhaerebunt. Libri manuales liturgici ad manum sunt multi. De cetero vide *A. O.* 3, 16. — P. V. C. De libero ingressu clerici in religionem litteras apostolicas dedit Benedictus XIV, die 14 I 1747, quae habentur in Instituti nostri (ed. Florentiae 1892) vol. I pag. 268. — P. B. D. Una alterave sectio vel academia omni ci utilis, imo necessaria erit; attamen ne quid nimis! Si iam ab aliis bene fiunt ea quae sectio cis fundanda ut finem sibi propositura esset, ordinarie optimum erit nihil novi condere, sed sodales ad istud opus mittere et incendere, nec non curare quantum prudenter licet, ut ibi primas partes obtineant zelo, labore, sacrificiis, exemplo suo. Alias vero oportebit in sodalibus tardis et immobilibus desiderium sectionis vel academiae excitare. — P. F. S. Recte opinatur R. V. illum operarium Mathaeum Talbot fuisse sodalem. Ita etenim testatur inscriptio ad tumulum: Memoriae M. T., mortui die 7 VI 1925, aet. 68 a. Monumentum erectum a c.e Imm. Conc. eccl. S. Francisci Xav. [S. I. Dublin] cuius socius fervidus erat per 40 a. — P. Z. V. Primas cc. puerorum infra 14 a. aggregationem ad Pr. Prim. petentes invenio: 1648 Lucern, 1649 Oenipontanam (Innsbruck) 1642 Nice; vide Mullam, History of the Prima Primaria Sodality; St. Louis, Mo, 1917, p. 151.

Multa charitate fraterna *A. O.*, sicuti petivimus, remiserunt PP.: C. M., R.; W. G., V.; A. O., V.; I. K., V.; A. L., G.; H. D., A.; A. F., Oe.; A. B., B.; C. G.; F. Z., T.; I. A., T.; V. B., Z.

Multas his PP. gratias agimus; item pro obolis: PP. A. B., B., LL. 100; I. M., V., 100; A. P., P., 105; I. S., K., 63; U. U., B., 109; E. V., B., 81; F. Z., T., 20; G. W., A., 27; D. P. C. S., 25; C. V., R., 100; E. K., V., 187; A. D., M., 185; A. L., T., 160; A. K., K., 100; O. I., P., 64.

Secretariatui Cc. gratissimae veniunt libri novi de B. M. V. et de ce; statuta localia ccum, leges foederaticnum, litterae annuae et similia.

Editor: *Albertus Boegle S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50-A